

*45. Instrumentum testamenti
di Bertono Tarallo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*45. Instrumentum testamenti
di Bertono Tarallo*

1342-08-06

(c. 92r) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo tricentesimo quatragesimo secundo, regnante domino nostro Roberto Dei gratia inclito Hierusalem et Sicilie rege, ducatus Apule# et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum suorum anno tricesimo quarto feliciter amen, die sexto mensis augusti, decime indictionis, apud civitatem Potentie.

Nos Robertus de Madio iudex ipsius civitatis, Iacobus de Ingannulo de eadem civitate puplicus ubilibet per provincias Basilicate, Terre Bari , Capitinate, Principatus ultra citraque serras Montorii ac Terre Laboris et comitatus Axelli regia auctoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico notumfacimus et testamur quod Bertonus Tarallus de Potentia, iacens in lecto eger corpore, sanus autem sue mentis existens et recte loquens, cupiens, ut dixit, anime sue saluti proficere et successorum comode providere ne decederet intestatus, de bonis suis omnibus, tam mobilibus quam stabilibus seseque moventibus, presens suum quod in scriptis dicitur condidit testamentum, sed <sic> suam meram ultimam voluntatem quod voluit <valere iure testamenti> quod si iure testamenti non valeret, saltem valeat iure codicillorum et cuiuslibet alterius ultime voluntatis obtineat firmitatem; et voluit dictus testator quod lex Falsidia <sic> locum non habeat in dicto suo testamento. In quo quidem testamento suo sibi heredem instituit in omnibus bonis suis tam mobilibus quam stabilibus seseque moventibus, preterquam <in> infrascriptis legatis et fidei commissis per eundem testatorem, Ioannem Laurentium, Nicolaum et Ludovicum filios suos, ut dixit;

item legavit dictus testator pro malo ablato car(lenos) sex; item // (c. 92v) legavit dopno Lombardo patruo suo car(lenos) duos; item legavit pro cera, denariis et missis pro exequio <sic> suis tarenos duodecim; item dimisit et legavit ecclesie Sancti Michaelis de Potentia petiam unam de terra sitam in tenimento Potentie in vallono de Pixulo, suis finibus circumdatam, pro defraudatione decimarum et quod clerici ipsius ecclesie teneantur orare pro anima sua et parentum suorum; item legavit eidem ecclesie pro testamento tarenos tres. Item legavit et dimisit predictis filiis et heredibus suis, ut supra, aliam petiam unam de terra sitam in tenimento Potentie in contrata dele Dragonare suis sitam finibus designatam. Etiam voluit et mandavit dictus testator quod si predicti filii sui decederent infra legitimam etatem, ipsa terra perveniat ad dictam ecclesiam Sancti Michaelis pro anima sua et parentum suorum; item dimisit et legavit diacono Nicolao Tarallo, fratri suo, tertiam partem unius domus in qua habitat ipse diaconus Nicolaus in vita sua, qua pro indiviso tenebat cum ipso; post mortem vero ipsius diaconi Nicolai voluit quod sit tertia pars dicte domus predictorum filiorum suorum; post mortem vero ipsorum voluit et mandavit dictus testator quod deveniat tertia pars ipsius domus ad dictam ecclesiam Sancti Michaelis pro anima sua <et> parentum suorum. Item voluit et mandavit dictus testator quod unus ipsorum filiorum et heredum suorum succedat alteri et alter alteri; item fecit, dimisit et ordinavit dictus testator suos et dicti sui testamenti epitropos, distributores et exequutores donnum Lombardum de Palma predictum et Nicolaum magistri Laurentii quemlibet eorum in solidum; quibus epitropis, distributoribus et executoribus dicti // (c. 93r) sui testamenti et cuilibet ipsorum in solidum dictus

testator dedit, concessit et tradidit liberam, plenariam et omnimodam potestatem tantum accipiendi et vendendi de bonis suis tam mobilibus quam stabilibus seseque moventibus prout eis et ipsorum cuilibet videbitur expedire quo usque dictum testamentum et legatum exsolverint et <plenarie> exequatur. Unde ad futuram memoriam et tam ad preces et requisitionem dicti Bertoni testatoris quam ad cautelam perpetuam predictorum heredum et successorum suorum ac omnium quorum et cuius interest et interesse poterit in futurum et ad futuram rei memoriam ut de predictis <non> possit in posterum dubitari seu questio aliqua suboriri, factum est exinde presens publicum instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, subscriptione mei qui supra iudicis ac nostrorum subscriptorum predictorum testium subscriptionibus roboratum.

1

2

3

4

5

6

Quod scripsi ego predictus Iacobus publicus ut supra notarius qui premissis omnibus rogatus interfui et meo

Così S per Molisii

Così S per tamen

Così S per et

Così S per heredes

Così S per subscriptis

Così S per perveniat

signo solito signavi. (SN) Ego Robertus de Madio iudex
civitatis Potentie qui supra Ego presbiter Elias de Bello
et Bono testis interfui Ego subdiaconus Ioannes de Italia
interfui Ego diaconus Angelus de M[ill]ariano interfui
Ego subdiaconus Aurelius interfui